16

PRO

ACADEMIA HABITA IN ECCLESIA D. LAURENTII

A PATRIBUS MINORIBUS CONVENTUALIBUS

IN AUSPICATISSIMA DOGMATIS DEFINITIONE

B. M. VIRGINIS SINE LABE ORIGINIS CONCEPTÆ

ODE

JANUARII COLAMARINO

S. THEOLOGIÆ MAGISTRI

ATQUE IN REGIO SALVATORIS LYCEO

ELOQUENTIÆ POESEOS ET LINGUÆ GRECÆ
PROFESSORIS

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA VIRGILIANA

MDCCCLV

Digitized by Google

Digitized by Google

ODE

Quid cuncta rident ? fumat odoribus
Nunc ara multis , undique gaudia ,
Plaususque , nomen Virginisque
Laude nova resonat superne.

Qui pollet alto munere consilî ,
Haeresque Petri sedis , et imperî
Dat jura , sacratasque leges ,
Quas populi recolunt fideles ,

Calletque , Sponsam quis deceat status ,
Sic elocutus consiliantibus :
Concepta Virgo , originisque
Facta simul sine labe. (mirum !)

Almique Patres murmure concinunt
Laeto , atque plaudunt ; credite posteri ;
Diesque solemnis notetur
Per titulos , memoresque fastos.

Qualis renascens picta coloribus
Aurora vernis laetitiam ciet ,
Montesque , vallesque , et decore
Terra micat, radiante Phoebo :

Digitized by Google

Talis recurrit laeta per aethera ,
Quae missa vox est de Capitolio ,
Urbemque delectans et Orbem
Spem renovat melioris aevi.

Quae , Roma , tum spectacula gaudiis
Permixta ? felix quae nova civium
Fortuna ? quot plausus Pioque
Sole novam referente lucem ?

Praecinge frontem , laeta Sion , comas
Praecinge , belli nec trepides metu ,
Novo refulgens jam tryumpho
Excipiet tua vota Virgo.

Pax astra curru pervolat aureo ,
Pacemque late nubila praeferunt ,
Diva jubente , et largiente ,
Haud liceat renuisse pacem.

Funesta , gentes , ponite jurgia ,
Irasque tristes , jungite foedera ,
Et res reluctantes in unum
Firmet amor , studiumque recti.

Hinc et benigno copia ditior
Effusa cornu , planta superbior
Novisque pomis , hinc nitentes
Ruris opes , nemorumque cultus :

Onusta plenis vinea pampinis
Exornet agros , arvaque gestiant ,
Collesque Vesevi virentes
Purpureis hilarentur uvis.